

Dissertatio inauguralis medica de medicorum scandalis sive de morbis curatu difficilibus et insanabilibus / [Philipp Isaak Heineken].

Contributors

Heineken, Philipp Isaak, 1724-1790.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1748]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/efrcpvs8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MEDICORVM SCANDALIS
SIVE DE
MORBIS
CVRATV DIFFICILIBVS
ET INSANABILIBVS,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOS. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
FACVLT. PHILOSOPH. H. T. DECANO, IMPER. ACADEM.
NATVRAE CVRIOSOR. PRAESIDE ET COMITE
PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. IX. APRIL. A. S. R. MDCCXLVIII.

PVBLCIE DEFENDET

AVCTOR RESPONSVRVS

PHILIPPVS ISAACVS HEINEKEN,

MAGDEBVRGENSIS.

HALAE-MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.

EXPERIMENTAL MEDICINE
MEXICO

THEORY OF THE
CURATIVE EFFECTS
OF THE MEDICINE

CONSTITUTIONAL
DISEASES

DR. ANDRÉS B. CHARRRO
TO THE
FACULTY OF MEDICINE

THEORY OF THE
CURATIVE EFFECTS
OF THE MEDICINE

THEORY OF THE
CURATIVE EFFECTS
OF THE MEDICINE



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MEDICORVM
SCANDALIS
SIVE DE
MORBIS CVRATV DIFFICILI-
BVS ET INSANABILIBVS.

PROOEMIUM.



Quod plerumque miseris ac-
cidit mortalibus, vt finem
sibi praefixum raro obti-
neant, spesque suas irritas
& admodum fallaces esse
experiantur; id pari quoque ratione euenire
A 2 solet

solet Medicis, qui, licet omnem saepe moveant lapidem, ut aegrum sanitati restituant, parum tamen vel nihil interdum efficiunt. Iam quidem veram sinistri huius eventus causam in ipsos saepe Medicos minus peritos artemque medendi parum callentes, reiiciendam esse, facile largior: Interim tamen non raro etiam fieri solet, ut ipsa morbi indoles valde difficilem, aut plane nullam admittat curationem, Medico licet insonte omnibusque viribus officio suo satisfaciente, cui vero nihilominus culpam imprudens vulgus solet tribuere, falso existimans, Medicum omnis generis morbos, eosque periculosissimos, posse sanare; cum tamen salutaris nostra ars valde sit limitata tantamque Medicus potestatem in morbum non habeat, quantam eques in habenam, quam pro arbitrio potest adducere iterumque remittere. Etenim remedia, quibus ceu instrumentis in medendo utitur Medicus, certa tantum activitatis gaudent sphaera, ultra quam progredi non licet; ideoque necesse est, ut morbi, virtute naturae & remediorum superiores, inuicti relinquantur, omnemque vel exquisitissimam medendi artem

tem eludant. Id quod dignissimus artis nostrae parens, HIPPOCRATES, pereleganter docuit in *Tr. de vet. medicina*, his verbis: *Non exigenda ab arte, quae non profitetur. Nam quorum facultatem tum per naturae, tum per artis instrumenta consequimur, eorum nos opifices profiteri possumus, aliorum non item. Si quid igitur homini contigerit, quod medicinae instrumenta superat, id ne sperandum quidem est ab arte medica vinci posse.* Quum itaque perditum hominum genus plus plerumque a Medico, vel sapientissimo, desiderare soleat, quam ipse per scientiam suam viresque remedium praestare valet; operae sane pretium facturus mihi videor, si in elaborando specimine academico paulo clarius euincam, morbos numero plures ex sua & aegrotantium natura ita esse comparatos, ut curationi, quamvis probatissimae, vel pertinaciter resistent, vel nullam prorsus medelam recipiant, & idcirco inter *scandala Medicorum* referri debeant. Sic enim spero fore, ut non solum incondita plebis turba mitius in posterum de Medicis sentiat, & mordacem obtrectandi pruritum deponat, sed & ut ipsi quoque Medici rudiores

plenius inde addiscant, quando aegrotis sanationis spem facere possint, vel minus. Faxit Numen Diuinum, a quo mortalium res omnes pendent, vt singula eueniant feliciter!

§. I.



Sanare quum nihil aliud sit, quam causas morbi tollere, in aprico est, omnes in vniuersum morbos, in quibus causa difficulter abigitur, *curatu difficiles; insanabiles* autem, in quibus illa ipsa nulla prorsus ope tolli potest, dicendos esse. Morbos itaque curatu difficiles & insanabiles demonstraturus, ostendere debeo, quaenam ipsorum causae aut difficulter, aut prorsus non ab artifice possint remoueri. Id quod etiam pro viribus in praesentiarum efficere enitar.

§. II.

Primo autem omnium, sicut maximum curationis facile peragendae momentum in ipsa *natura corporis humani*, quam veteres aequae ac recentiores Medici vnanimiter fere *optimam morborum medicatricem* praedicarunt, collocandum est; ita haec ipsa, si languet aut deficit, frequentissima difficilis curationis causa existit. Intelligimus autem sub *natura* complexum virium, vel motuum, tam in solidis, quam in fluidis, quibus liber & perennis sanguinis & humorum

morum circuitus, vna cum debitis se- & excretionibus, absoluitur. Hic enim circularis motus quo vegetior est, eo etiam felicius morbi non solum a corpore arcentur, verum etiam, si iam adsunt, ex voto persanantur. Vnde antiquissimi iam Medici passim in scriptis suis naturae cooperantis auxilium ad morbos vincendos necessarium esse duxerunt, & nostrates pariter in firma natura felicem curationis euentum solent reponere, alterumque prae altero ad sanitatem recuperandam magis idoneum declarare: *Nam bona, inquit, natura, leuiter arte adiuta, interdum facit miracula*, hoc est, plane inexpectata. Quae cum ita sint, videndum nunc proxime erit, in quibusnam praecipue morbis naturae opera ita requiratur, vt ipsa vel refragante, vel nimis exhausta, parum aut nihil omnino Medicus arte sua possit perficere.

§. III.

In hoc autem demonstrando deprehendimus, in febribus potissimum acutis, malignis, exanthematicis & inflammatoriis, praecipuam opem a naturae benignitate dependere. Quod si enim fibrae motrices eximio praeditae sunt tono & robore, vasa sunt capacia, neque nimium destructa est sanguinis & humorum crasis, tum, mediante motu auctiori febrili, saepe ipsa pernicialis morbi causa certo tempore & ordine corrigitur & foras expellitur, nociuae sanguinis stases resoluuntur, ipsiusque febris impetu sensim deferuescente, aeger cum sanitate in gratiam
redit.

redit. Haec autem si contrario se modo habent, omnia in peius ruunt symptomata, remediis, magnifice alias commendatis, nihil aduersus vim morbi valentibus. Quare facile exinde licet concludere, parum in acutis hisce morbis Medicum posse praestare, nisi quod ea tantum, quae naturae oneri sunt, & salutares eius motus impediunt, aut in ordine suo turbant, inter initia statim apta ratione subtrahat, vel abundantem sanguinis copiam accommodatis ventilationibus minuendo, vel primam regionem a foribus inibi stabulantibus liberando. Quae reliqua sunt, in solo quieto temperatoque regimine, in conveniente diluente & humectante potu, in remediis blande diapnoicis & analepticis consistunt, nihilque directe faciunt, sed naturam tantum adiuuant, ut diebus imparibus salutarem crisin, siue per sudorem aut alui fluxum, siue per vrinam, haemorrhagiam, & sic porro, instituat.

§. IV.

Atque huius rei veritatem ipsa experientia, optima rerum magistra, satis superque comprobat. Et enim qui valente natura praediti, dictis acutis morbis corripuntur, longe facilius feliciusque exinde emergunt, quam delicatuli, languidi multisque modis eneruati, quibus vel selectissima medicamenta parum adferunt leuaminis. Quod si igitur Medicus in aegrotos incidit imbecilles, iustam metuendi rationem habet, futurum esse, ut multa curationi suae iniiciantur impedimenta, vix vlllo artificio superanda.

Iam

Iam quidem aegritudines allegatae plerumque a Medicorum vulgo curatu faciles habentur, sine dubio, quia singulae fere vnam eandemque requirunt methodum, breui tempore addiscendam & sine magno labore applicandam: siquidem leuissimum videtur negotium, venae sectionem & ptisanam pro potu suadere, pulueres & essentias alexipharmacas praescribere, vel etiam emulsionem & potionem diapnoico-analepticam ordinare. Verum enim vero, ipsa haec compendiosa methodus luculentum praebet testimonium, medendi rationem in dictis hisce affectibus valde angustis contineri limitibus, admodumque pauca existere remedia, quibus aliquid solidi praestare possimus. Vt ideo certissimum sit, nisi ipsa naturae robustioris benignitas subueniat, Medicum in sanando exiguos facere progressus.

§. V.

Proxime deinde morbis, quorum causae aegerime remouentur, accenseri debent *morbi nervorum nervosarumque partium*, quarum atonia si semel praesto est, difficillime emendatur; sicut exemplo suo affectus paralytici, gonorrhoea benigna, pollutiones nocturnae, malum hypochondriaco-hystericum, & similes morbi abunde satis demonstrant. Et ratio in propinquo est: Etenim, quum medicamentorum virtus non immediate semper ad sensibiles hasce partes possit pertingere, sed longissima demum via cum sanguine ad ipsas adduci debeat; mirum haud est, effectum quoque inde sperandum lento

B

demum

demum gradu succedere, longeque maius temporis spatium ad curationem perficiendam requiri. Hinc etiam Veteres permoti, nervos *frigidas* appellarunt *partes*, & suo iam aevo morbos ipsis insidentes curatu difficiles declararunt. Idem impedimentum in sanando observamus circa *morbos nervorum spasticos*, ut *epilepsiam* & *convulsiones*, quales si in consuetudinem abierunt, ex leuissima causa plerumque redeunt, sine dubio, quia partes nervosae, a tono suo per crebriores paroxysmos deiectae, facillime in pristinos coniiciuntur motus, ut ideo mirari non liceat, cur multi per omnem vitam cum atrocissimis hisce morbis miserrime conflictentur.

§. VI.

Ratione haud dissimili morbis aegerrime sanabilibus adnumerandi sunt, *morbi capitis idiopathici*, quorum causa in cerebro & nervis capitis abscondita latet, ut fere sunt, vertigo, memoriae debilitas, affectus soporosi, difficilis auditus, gutta serena, cephalaea & hemicrania chronica, melancholia, mania, &c. Quodsi enim hi morbi, sicut plerumque fit, a prava cerebri constitutione, a sanguine vel serosis humoribus copiosius inibi coaceruatis, stagnantibus & extrauasis, vel a deficiente fluidi nervei secretionem, huiusque praepedito in nervos influxu originem sumunt, iudicatu facillimum est, difficilem esse medicamentorum ad abditas hasce partes aditum, lentumque in ipsas ingressum. Vnde etiam, experientia teste, dicti hi morbi vel diutius trahuntur,

tur, vel nunquam funditus tolluntur; maxime quum senili plerumque aetati sint familiares, in qua cerebrum partesque nervosae per se iam suo priuantur robore, & vix ac ne vix quidem ita possunt firmari, vt in naturalem statum reducantur. Quid ergo mirum, quod vtplurimum ad mortem vsque pertinaciter inhaereant, tandemque subsequente apoplexia vitae scenam misere claudant?

§. VII.

Vt autem eo melius innotescat, curationem multis premi difficultatibus, si forte *solidae*, maximeque *nervosae partes* naturalem suum tonum, motum & tensionem amiserunt; lubet iam adhuc alia in medium proferre exempla. Pertinent autem huc potissimum *chiragra*, *podagra*, ceteraeque *arthritidis species*, quae si semel, per crebriores paroxysmorum insultus longosque ipsorum decursus, nervos & membranas articulorum valde debilitarunt, raro admodum his ipsis naturalis tensio & mouendi potentia redditur, multoque minus tophacea illa, quae fixa ibi haeret, materia abigitur. Quod enim si minus ita esset, non tam multi vbique occurrerent elumbes podagrici, qui ex omnibus vndique conquisitis magnaue pecunia coëmtis remediis, praeter conuictionem stultitiae suae, nihil retulerunt commodi.

§. VIII.

Idem obseruare licet in *antiquis membrorum luxationibus*, quae si paullo diutius durarunt, raro ac-

cidit, vt membra male distorta in pristinum restituantur locum, ideo, quod perpetim maior humorum ad affectas hasce partes fit affluxus, qui nervos reddit flaccidiores. Similiter res comparata est cum *fracturis ossium*, si hominibus aetate iam multum prouectis eueniunt. Quis enim nescit, generationem noui ossis, ob boni succi nutritii defectum, in ipsis longe difficilius, quam in subiectis vegetis & in optimo aetatis flore constitutis, procedere? Nec silentio praeterire possum dolorificas illas sensationes, a vulneribus olim inflictis aliisque laesionibus residuas, quae sub aëris & ventorum mutationibus exacerbatae, ingentes saepe creant molestias, & aegerime possunt emendari, quod partes nervosae, in quibus saeuunt, semel debilitatae, naturale robur recipiunt rarissime. Atque hinc est, quod multi in republica de perpetuo artuum quasi calendario infinitas nectant quaerelas; de quo argumento legi meretur Excellent. HEISTERI Dissertatio de *Calendario artuum*.

§. IX.

Tum vero leuissimi etiam morbi, in partibus solidis radicati, curationem retardant, vel penitus respuunt. Videre hoc licet in affectu, strenuis vini & spiritus eiusdem potatoribus familiari, *gutta rosacea*, quae satis superque vel suo tantum exemplo docet, quam difficile sit, minimas vasorum extremitates, a fortiori humorum congestione relaxatas, aut plane disruptas, pristinae suae reddere integritati.

In

In hoc enim proprie, vt arbitror, consistit vera morbi huius, faciem mirum deturpantis, indoles; indeque deducenda est ratio, cur neque decocta sanguinem purificantia, neque diaeta vel accuratissime obseruata, neque laxantia & deriuantia, neque sanguinis missiones, neque alia demum innumera diutissime adhibita, quidquam solidi possint efficere. Quodsi enim, vt vulgo putatur, causa pertinacis huius morbi in ipsa sanguinis & humorum dyscrasia esset reposita, nihil dubii esset, quin remedia depurantia, tam copiose saepe adhibita, meliorem praestarent effectum. Recte itaque iudicarunt Veteres, qui omnes omnino morbos, a mala conformatione oriundos, sanatu difficiles habuerunt.

§. X.

Nihil autem fere magis sanandi difficultatem, in morbis partium solidarum obuiam, demonstrat, quam *morbi haereditarii*, dum scilicet nati successu temporis in eandem facile incidunt labem, qua parentes laborarunt; vel tamen ad eandem insignem habent procliuitatem. Iam vero, communi saniorum Medicorum consensu, vera horum affectuum ratio & sedes non tam in fluidis, quam in solidis continetur partibus, ideoque non mirum est, quod nulla propemodum arte possint praecaueri, aut si iam adsunt, radicitus tolli.

§. XI.

Proxime nunc se nostrae considerationi offerunt morbi, certis *aetatibus* proprii, qui similiter diffi-

cillime, & vix prius perſanantur, quam notabili aetatis facta mutatione. Obſervare hoc licet in *pueris*, qui, experientia teſte, ob humidum temperamentum, & conſuetam fluidorum ad caput directionem, variis capitis malis, & nominatim quidem haemorrhagia narium, auribus oculisque fluentibus, coryza, tinea capitis, tumoribus parotidum & tonſillarum, laborare ſolent, neque prius ab iisdem cum ſucceſſu liberantur, quam ſi circa pubertatis annos eximia totius corporis, ratione ſtructuræ potiffimum ſolidorum, contingit mutatio. Quæ igitur cum ita ſint, facili poſſumus negotio coniicere, omnes atque ſingulas, quæ ante mutatam aetatis periodum inſtituuntur, curationes, inter difficillimas eſſe referendas; ſiquidem, ut antea ſatis euictum dedimus, Medico tanta poteſtas non conceditur, ut pro lubitu ipſam fibrarum texturam poſſit immutare, & in ſtatum plane alium ac nouum reducere.

§. XII.

Quum autem ne morbi quidem puerorum medica ope ad lubitum poſſint ſuperari, facile licet colligere, quid ſperandum ſit, ſi *ſenes & decrepiti* ſe nobis ſanandos tradunt. In his enim cum omnes non ſolum ſolidæ partes eximie ſint deiectæ, ſed fluidæ quoque multis ſordibus contaminatæ, nihil ſupereſt dubii, quin longe adhuc difficilius ſanationem admittant, maximusque adhibendus ſit labor, ſi corpus ipſorum, in ruinam pronum, adhuc per tempus aliquod ab interitu retinere velimus.

§. XIII.

§. XIII.

Ordine nunc excipiat disquisitio aliorum morborum, perinde quidem in partibus solidis, sed speciatim in *viscerum laesa substantia*, fundatorum. Singulis autem probe consideratis, non possum, quin hos quoque curatu difficiles, aut, pro circumstantiarum ratione, insanabiles declarem. Sunt autem praecipuae viscerum laesiones, quae in pulmonibus, liene, hepate, pancreate & vtero occurrunt; siquidem sectiones corporum, post mortem institutae, abunde satis demonstrant, dicta haec viscera, ad vitam sanitatemque tuendam necessaria, variis posse modis affici, & vel spissioribus & ad progressum ineptis humoribus infarci, vel plane obstrui & in lapideam quasi durtiem converti, vel etiam ulcere foetidissimo corrumpi atque consumi. Iam quidem deprauata haec viscerum conditio pessimaque labes, si causam morbi constituit, omnino debet emendari & in statum naturalem restitui. Quis autem non videt, difficillimum hoc esse opus, & in Medici potestate plane non positum, partium semel corruptarum situm, figuram & connexionem ita immutare, ut omnis ipsarum labes evanescat, aut novae quasi tales partes renascantur. Hic enim profecto haeret aqua. Nam vel vires remediorum non sufficiunt, nostramque expectationem destituunt, vel si etiam sufficerent, eiusmodi tamen circumstantiae plerumque concurrunt, quae prohibent, quo minus medicamenta, obtinendo scopo conformia, rite applicare possimus. Atque haec fieri maxime deprehendimus, ubi laesiones viscerum

rum per tractum temporis nimium increuerunt, corporisque vires ita sunt depressae, ut remedia paullo valentiora, ad referandas vasorum obstructions necessaria, adhibere amplius non liceat, nihilque tum Medico perficiendum saepe restet, quam vt otiosum agat spectatorem, vel pauca tantum praescribat analeptica, non tam causae morbi, quam symptomatibus valde vrgentibus opposita.

§. XIV.

His ita comparatis, facile, me iudice, & sine magno labore quisque poterit intelligere, omnes simul morbos, qui viscerum quamcunque labem pro causa agnoscunt, curatu esse difficiles, & si valde demum ingrauescunt, immedicabiles. Atque hunc censum potissimum subeunt, *hydrops, quartana, asthma, icterus*, tam *niger*, quam *flavus*, *nimiae haemorrhagiae, scorbutus adultus, phthisis consummata*, & quae symptomatice demum accedunt, *hecticae febres*. Aegre enim, aut prorsus non, vt antea dictum est, grauissima ipsorum causa adimitur, sine cuius tamen remotione nulla vnquam in rerum natura contingit sanatio.

§. XV.

Ne tamen nimis generatim mentem meam explicem, & falsa hic, aut non satis determinata proposuisse videar, monere lubet, ipsorum aegrotantium rationem esse habendam, probeque examinari debere,

re, quo naturae robore polleant, quotque annos numerent, si de euentu morborum, ex viscerum quodam vitio subnatorum, itemque de curandi ratione iudicium ferre volumus. Sicut enim bona robustaque natura ad feliciorum aegritudinum nostri corporis decursum quamplurimum confert, viresque remedium insigniter adiuuat: ita pari modo in citatis morbis eandem praestat utilitatem, ut multi ideo, receptis paullulum viribus, praeter spem omnium & opinionem conualescant, qui breui antea morti proximi habebantur. Idem accidit, si forte homines in aetatis vigore constituti infarctibus & obstructionibus viscerum corripuntur: siquidem hae, experientia teste, in iuuenibus longe facilius recluduntur, liberiorque fluidis per ipsa transitus restituitur, quam in decrepitis, quorum vis vasorum systaltica non solum valde languet, sed humores quoque impura laborant spissitudine. Vnde etiam senes prae iuuenibus ad morbos ex viscerum atonia propullulantes, & in hecticam demum ipsis solennem, siue marasmodum senilem, abeuntes, magis sunt dispositi.

§. XVI.

Grauiissimis deinceps, vixque vlla arte superandis morborum causis adnumerari debent pessimae illae, quae cordi vasisque maioribus impactae sunt, *concretiones*, quas *polypus* nominamus. Hae enim aequali sanguinis circulo obicem ponendo, morbos producant fere innumeros, quorum plurimi, vt phthisis, asthma, hydrops, cum morbis ex viscerum

C

depra-

depravatione subortis conueniunt. Id quod praestantissimus ille Italarum Medicus, MALPIGHIVS, cui merito plurimum hac in re debemus, elegantissime docuit, & alii quoque Auctores, qui de polypis scripserunt, multis ostenderunt exemplis. Neque tamen polypi novos tantum gignunt morbos, verum etiam iam praesentes exacerbant, aut iis demum superueniunt, eoque certius deinde mortem, omnium rerum clausulam, accersunt. Sic enim affectus antea nominati, vt asthma, phthisis, haemoptysis, &c. tum propter polyposa haecce repagula excitantur, tum vero ab iisdem, durante morbo genitis, maiora incrementa sumunt, & lethalem denique fortiuntur exitum. Quum vero Medici sit, consilio & auxilio in omnibus corporis miseriis succurrere; non immerito hinc quaestio iam incidit, quid in tali rerum statu faciendum sit? Respondeo igitur: Si quid Medicus arte sua potest efficere, in id debet potissimum incumbere, vt vel polypos auertat, glutinosam illam materiam, ex qua coagulantur, in tempore resoluat, vel tamen ulterius eorundem augmentum impediat. Quod si autem iam in massam degenerarunt carneam, & pulsus vere intermittens difficilisque respiratio nimis vrgent, nullo possunt modo dissolui, ideoque nec morbi inde pendentes curari.

§. XVII.

Licet deinde non negandum sit, quod polyposa coagula cordis maxime ventriculis vasisque adnexis maioribus inhaereant; loquitur tamen experientia,
alias

alias quoque corporis regiones iisdem per saepe obfideri. Ita finui capitis falcato infidens polypus causa exstitit epilepsiae & melancholiae, nullamque omnino medelam admisit; in vtero autem saepe plures eiusmodi massae latitant informes, quae scirrhis, malo hysterico, fluori albo largisque haemorrhagiis ansam suppeditant frequentissimam. Quis autem ignorat, singulos hosce morbos, a tali fontica causa subnatos, inter scandala Medicorum esse referendos?

§. XVIII.

Diximus haecenus potissimum de partium solidarum affectibus. Nunc igitur pauca de *vitiis fluidorum* adiicere placet; circa quam doctrinam tenenda inprimis erunt sequentia. Constans Medicorum est sententia, morbos, a peruersa sanguinis & humorum quantitate & qualitate promanantes, prioribus esse leuiore curatuque faciliores. Nec perperam & sine ratione ita sentiunt. Possunt enim humores copia abundantes vario modo minui & subtrahi, eorumque intemperies calida temperari, viscida dilui atque resolui, acris inuolui, salina elui & per debita emuntoria excerni, & sic porro. Nihilominus tamen, quando haec fluidorum vitia altius se solidis insinuant, perinde Medico multum faceffunt negotii. Videre hoc licet in scorbuto & lue venerea, in quibus, si corrupta humorum indoles, in solidas partes translata, tophos, gummata, ossium cariem & similia produxit, difficulter postea exterminantur. Idem accidit, si materia quaedam peregrina a massa humo-

rum segregata, in scabie, purpura, erysipelate, &c. ad nervosas partes relabitur, ibique atroces concitat spasmos: siquidem tum magno saepe labore opus est, antequam motuum vehementissimorum ataxiam in ordinem redigere possimus.

§. XIX.

Praeter haec vero dantur etiam casus, ubi vel sola *depravata fluidorum constitutio* magnas medendi iniicit remoras & ingentes in felici curationis successu parit difficultates. Exemplo sint homines valde scorbutici, siue salino-acri humorum impuritate praediti, quorum vel leuissimae laesiones externae in grauissima abeunt mala, mortem non raro inferentia; sicut etiam frequentissime solet contingere, ut ipsorum tumores & erysipelata facillime exulcerentur, vlceraque efforment sordidissima. Et quid aliud, quam summa humorum dyscrasia, in culpa est, quod *cancer apertus*, & ab internis, ut aiunt, causis subnatus, in malis habeatur immedicabilibus? Idem deprehendere licet in *morbis malignis & pestilentialibus*, ubi tenuis quidam vappidusque halitus massam humorum inquinat, & in motum dissolutorium facile funestum coniicit, nisi per debitas vias suo tempore foras expellatur.

§. XX.

Praecipua horum euentuum ratio sine dubio haec esse videtur, quod magna succorum corruptio ipsum delibatissimum cerebri & nervorum liquidum eadem
labe

labe contaminet ; vnde non potest non vis partium solidarum motrix elastica , qua fluidis regendis & propellendis praeesse deberent , mirum in modum minui , & sic demum necessaria ad vitam circulatio sanguinis penitus auferri. Nihil enim oeconomiae animali magis est aduersum , quam putris quaedam exhalatio , quam tamen , in malignis vlceribus morbisque contagiosis, saniorum negabit nemo. Atque in hoc simul continetur ratio , cur *sphacelus internus*, ad quem praeterea nullus datur accessus, sit insanabilis ; *externus* autem tam facile enecet, tantamque in medendo difficultatem pariat.

§. XXI.

Posthaec quoque illi morbi non tam semper ex sua natura , quam potius ratione loci, quem in corpore occupant, inter graues, vel immedicabiles referri debent, qui *partibus* insidentes *abditis*, remediis aut nullum , aut non satis commodum concedunt aditum. Hinc plures saepe abdominis, vteri, prostaticarum, vesicae vrinariae, aliarumque internarum partium laesiones fiunt lethales , quae tamen emendari omnino possent, si medicamenta ipsis debito modo applicare liceret.

§. XXII.

In genere porro circa hancce doctrinam observandum esse moneo, impedimenta curationis quam maxime ex partium, quae patiuntur, structura & usu esse diiudicanda. Quo enim sunt nobiliores, &

quo magis ad vitam sunt necessariae, eo etiam magis vel minus sanationem admittunt. Quare non mirum est, quod cordis vulnera, grauiioresque vaporum maiorum in pulmonibus disruptiones, & aliae vitalis huius visceris laesiones, vel etiam profundiora capitis vulnera, tanquam partium ad vitam & motus in nostro corpore peragendos necessariorum, medelam prope omnem soleant respuere.

§. XXIII.

Dantur denique *morbi, certis populis certisque regionibus proprii*, qui similiter difficulter, aut nulla prorsus ratione tolli queunt: siquidem ab ipsa nativa quadam dispositione, certaue aëris, potus & victus ratione proueniunt, quae singula non ita in nostra sunt potestate, ut pro arbitrio possint corrigi atque emendari. Sic enim in regionibus montosis, ut in Heluetia, Stiria, Carinthia, Hungaria & Transylvania, incolarum colla deformantur *strumis* aegerrius abigendis. In Polonia morbus iste sordidissimus, *plica Polonica*, aegrotis aequae ac medentibus ingentes creat molestias, & pessimus iste morbus, *scorbutus*, qui Belgis & maris Baltici accolis, Suecis, Danis, Norwegis, Liuonis, Pomeranis, &c. ab indigenis causis endemius est, difficilior longe, quam aliis euertitur. Idem hoc etiam dici meretur de *calculo*, Belgis Heluetisque, ob frequentem caseorum & lacticiniorum cum acetariis esum, familiari; de *podagra* & *arthritide*, ob vini spirituosioris largiorem potum in Hungaria inprimis obuium, item de

p. ri-

peripneumonia & scabiosis affectibus in Germania superiore, Westphalis maxime, ob crassio rem victum, feralibus, & sic porro.

§. , XXIV.

Dixi supra de morbis puerorum, quod curatu sint difficiles, quatenus ad morbos aetatum pertinent. Hic autem pauca quaedam, licet alio respectu, de *infantum morbis* adiiciam, quorum plurimos similiter puto pertinaces, & meo quidem iudicio ob duplicem rationem. Prima est, quia diagnosis illorum valde difficilis & abscondita deprehenditur. Pauca enim adsunt in puerulis signa certiora, ex quibus veram morbi indolem possemus intelligere, sed ex eiulatu tantum & clamoribus aduersam ipsorum valetudinem coniectura assequi debemus. At vero, cum ignoti non detur vera curatio morbi, per se hinc intelligitur, difficillime eandem in morborum pusillorum affectibus procedere. Altera ratio in ipsis causis morborum infantilium latitat. Singulis enim probe examinatis, deprehendimus, habitum corporis molliorem, redundantem humorum pituitosorum copiam, valdeque exquisitum & delicatum fibrarum & membranarum sensum, esse accusandum. Sicut autem fonticae hae causae ita sunt comparatae, ut aegerrime emendari queant; ita certo certius est, omnes, quae inde pendent, corporis afflictiones inter sanatu difficiles esse collocandas. Et quid multa? dum per quotidianam satis abunde iam liquet experientiam, maximum hominum numerum
in

in infantili aetate diem obire supremum, quod sane non fieret, si medica ope morbosis infantum affectibus melius possemus succurrere.

§. XXV.

Demum, qui in artis exercitio versantur Medici, non raro observant, *verminosam progeniem* varias in corpore ludere tragoedias. Morficando enim iniqui hi hospites grauissimos in sensibili intestinorum tractu cient dolores; per consensum autem remotas quoque partes nervosas in atrocissimos conii-ciunt spasmos, imo non raro epilepticos & conuulsivos proritant motus. Iam quidem aduersus haec animalcula varia existere remedia non nego; nihilominus tamen non tuto semper possunt applicari, ideo, quoniam pertimescendum est, ne ipsa iam praesentia symptomata magis augeant & in deterius vertant. Porro non raro accidit, ut ab usu quidem anthelminticorum vermes in intestinis enecentur; at vero, tum quoque ob summam, quam spirant, putredinem, periculum portendunt & medenti multum faciunt negotii. Quid? quod saepe etiam infesta haec animalia aliis se morbis, ut variolis, purpurae, morbillis, aliisque febribus exanthematicis, adiungunt, & non tantum symptomata mirum augent, magnumque virium decrementum afferunt, sed placidum quoque horum morborum decursus, cum signis diagnosticis & prognosticis, insigniter perturbant, totamque medendi methodum valde reddunt difficilem.

§. XXVI.

§. XXVI.

De morbis chirurgicam opem postulantibus diffusius hic agere non vacat ; alioquin innumeris ostendere possem exemplis, has quoque curationes plurimum esse difficiles, ancipitisque euentus. Valet hoc maxime de operationibus sic dictis manualibus, vt trepanatione, amputatione, fistularum sectione, cancrofarum mammarum extirpatione & similibus. Quantae enim in ipsis perficiendis artifici saepe obii-
ciantur difficultates, dici vix potest. Hoc tamen, quia propius ad scopum meum spectat, sicco praeterire pede nequeo, quod herniae, speciatim in subiectis iam adultis, non tantum medelam respuant, sed facile quoque a flatibus & excrementis inibi collectis incarceratae fiant, maloque omnium fere truculentissimo, passioni nempe iliacaе, ansam hinc praebeant. Cum vero herniae repositio, a qua omnis in hoc morbo salus pendet, difficillime plerumque succedat, non mirum est, quod etiam iliaca passio aegerrime curetur, plurimosque eadem laborantes letho tradat.

§. XXVII.

Sic igitur morborum, qui vel curationibus fortiter resistunt, vel easdem plane non admittunt, allegavi praecipuos. Siqui autem restant, a me non allegati, facile spero ipsos ex dictis & adductis posse colligi aptaque ratione sine multo negotio deriuari. Ceterum, vt hoc qualecunque specimen B. L. amice excipiat, & aequi bonique consulat, etiam
atque etiam rogo.

T A N T V M

S. D. G.

D

PRAE.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D.

Christianus Fridericus Daniel, Med.D.



Multum sane in scientiis profecerunt, qui se maxima nescire, paucissimaque efficere posse, probe intelligunt; cum ita e contrario luculentum ignorantiae suae edant testimonium, qui soli sibi sapiunt, omnemque scientiarum ambitum iam exhaustisse sibi persuadent. Id quod sicut de omnis generis eruditis; ita imprimis etiam de Medicis valere arbitror, utpote qui suam in medendi arte imperitiam certissime produnt, si heroum instar omnes omnino morbos, ipsamque mortem, propellere audent. Etenim vel minima pars aegritudinum, quibus velut agmine corpus nostrum subinde solet infestari, medicamentis abigitur; sed pleraeque ita sunt comparatae, ut vel difficillime possint emendari, vel omnem plane respuant medelam. Quae cum ita sint, Amicissime Dne. CANDIDATE, TV profecto egregium eruditionis medicae edis specimen, dum in Dissertatione TVA inaugurali perelegantem ostendere annisus es, artem salutarem angustioribus circumscriptam esse limitibus, quam vulgus quidem existimat, nec in artificis potestate semper esse positum, ut morbis quibusvis occurrentibus pro lubitu auxilium ferre queat. Habet praeterea haec Tua demonstratio eximiam hancce utilitatem, ut partim inde discamus, quando aegrotantibus salutem promittere liceat, nec ne; partim vero, ut alii quoque intelligant, quam inique saepe Medico vel sapientissimo in morbis ex se & sua natura pertinacibus ac insanabilibus curationis vel tardioris, vel irritae tribuatur culpa. Gratulor TIBI itaque praeclarum hocce specimen, & quos inde promeruisti honores doctores, proxime nunc TIBI conferendos. Perge iam, qua coepisti,

pisti, via, & ex pulcherrima scientia Tua uberrimos collige fructus. Licet vero, sicut abunde ostendisti, doctrinam morborum tam curatu difficilium, quam insanabilem, perfecte calleas; sincere tamen opto, ut in artis exercitio TIBI potius morbi sanatu faciles obueniant curandi. Sic enim nec fama TIBI deerit, neque fortuna, quam TIBI Deus, a quo mortalium bona pendent omnia, largiatur cumulatissime! Vale, meque eadem, qua Tuam colo amicitiam, ratione redama. Dabam Halae Magdeburg. a. d. VIII. April. M DCC XLVIII.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
**PHILIPPO ISAACO
HEINEKEN**

SALVTARIS DOCTRINAE CANDI-
DATO DIGNISSIMO

S. P. D.

IOACHIMVS SEIVERTH DE ROSENBERG,
BISTRICIO TRANSILVANVS,

Tanta cum TVA, NOBILISSIME HEINEKEN, in rem literariam & medicinam inprimis fuerit sedulitas, quanta de omnibus, qui litterarum studiis delectantur, requiritur: perfecisti, ut non nisi summis, quos ILLVSTRIS MEDICORVM ORDO TIBI conferre potest, honoribus discedere, TVOSQVE repetere possis, qui TE talem inuenient, qualem antea cognitum iudicarunt. TV enim tempus, quod adolescentibus, qui musarum castra sequuntur, ad salutandos amicos, ad ipsam denique animi & corporis requiem, conceditur, non male impendisti, sed ea, quae par est, ratione, studiis TVIS dicasti, eumque campum, in quo
vir-

virtus TVA se extendere possit, latius evincere studuisti. Cum autem hic locus in laudes TVAS excurrere non permittat, laudibus quoque non opus sit, ubi res ipsa loquitur, satis enim erudita TVA dissertatio, quam mihi una cum Opponentis munere obtulisti, ostendit, quanta TVA sit in arte medica dexteritas, quidue Patriae a tali viro expectandum sit: ex toto cordis affectu stadium academicum feliciter emensum, honores denique in medicina summos, TIBI ex merito conferendos, gratulor. Secundet DEVS Optimus consilia TVA benedictione, illaque in multorum egrotantium salutem cedere iubeat felicissime. Me vero ulteriori TVO amoris & benevolentiae commendatum habeas, certissime persuasus, me semper fore ad quaevis TIBI praestanda officiorum genera promptissimum paratissimumque. Vale. Dab. Halae proter Salam, die VI. Aprilis cl^o l^o c^o xxxxxviii.

Sin ächter Fleiß trägt edle Früchte,
 Getreuer Arbeit Lohn ist Ruhm:
 Die Weißheit prangt mit klarem Lichte
 Und hat ein schönes Eigenthum.
 Wer sich in Wissenschaften übet
 Wird von der Nachwelt noch verehrt,
 Und wer die Kunst zu denken liebet
 Der ist der größten Ehre werth.
 Du zeigst hiervon die besten Proben,
 Mein Freund, da nun Dein Glück blüht;
 Und warum solte ich Dich loben,
 Da man von Dir ein Zeugniß sieht.
 Mein Wunsch soll Dich davor begleiten,
 Die Vorsicht, welche vor Dich wacht,
 Die wolle Dir das Wohl bereiten,
 Das Dich beständig glücklich macht.

C. A. A.
 aus M.
 der heil. G. G. B.